

Petrus Tomicki Joanni Choienski.

207

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Cum proficiscentur ad maiestatem regiam nuntij civium Casimiriensium, quibus sunt aedificia concremata, literas illis nostras dedimus postulata illorum commendantes, in quibus etiam supplicavimus suae maiestati, ut immunitatem subditis nostris ex vico Biskupie dare et concedere dignaretur, quemadmodum et civibus suis Clepardiensibus idem incommodum passis nuper concessit. Hoc etiam vobis cura esse cupimus, et rogamus vos, ut de hac re cum maiestate sua nostro nomine, prout expedit subditis nostris, agatis, quod nos vicissim benevolentia et gratificatione nostra vobis referemus. Bene valet. Datum 1528.

